

At medium tenuere locum Germania , Lechi
Cum regnis latè campestribus , & ditiones
Gallorum , quos a Pyrenæis montibus illinc ,
Alpibus hinc clausos tellus alit alma feraxque .

Demùm quod supereft, magnum mare, circuit omnem
Quod terram , Oceani vocitamus nomine ; at illud
Pro regione loci varia , quem perluit undis ,
Nomina fortium est pariter variantia ; quippè
Æquor Atlantæum tibi Mauri à vertice montis
Nomen habet , quoniam radices montis ad ejus
Franguntur fluctus : Americæ ad littora Iberis
Longè a littoribus pelagi hic extenditur æstus .
Æquor Hyperboreum , contràque Australe vocamus ;
Terrarum quod eas perfundit fluctibus oras .
At mare Pacificum jacet inter iittus Eoum ,
Occiduasqne plagas Americæ : æstumque vocamus
Præterea Medium , libycas qui volvit arenas ,
Europæque , Asiacque allabens exedit oras .
Deinde quid Hyrcani , Rubrique tibi æquora ponti ,
Euxinum , Adriacumque , minoraque nomina dicam ?
Quid freta , Bosphoras fauces , syrtesque , sinusque
Commemorem ? doctis hæc tutem et omnia quibus
Discere de Tabulis . Sine me nunc otia fessum
Captare , atque istas paulum dimittere Musas .

Hic Patriæ me casus & horrida fata meorum ,
Quæque hic quondam uno pariter cecidere sub iectu
Millia multa , movent , animoque horrescere cogunt ;
Prorsus & oblitum causarum exceedere certos
Carminis impellunt fines , ultròque dolori
Indulgere meo paulum , cinerique meorum ;
Dum , pueris toties quæ nostri cumque solebant
Cum lacrymis cum singulu memorare Parentes
Quondam visa , libens repeto , atque audita revolo .
Cernitis eversas , dicebant , undique moles ,
O Pueri , disjecta solo , congestaque passim